



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Frivola & inania hominum studia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

crimine etiam bestiae abhorrent. Aliter Romani, apud quos *Fontinalia*, dies erat festus, quo in fontes coronas projiciebant, puteosque coronabant, ut, à quibus pellucidos liquores ad restinguendam sitim acciperent, iisdem gratiam referre hoc ritu viderentur. Æquum est enim eos, à quibus haurimus beneficia, laude & gratulatione persequi. Vetus verbum est: *Si aquam hauris, puteum corona.* Ægyptij siphonibus Niliacis leonina capita adsculpebant, eò quod Ægyptum fecundaret aquis Nili inundatione leonis sidus. Hoc gratæ mentis, & beneficiorum memoris, symbolum est.

II. (b) Arachne in bestiolum abiit, muscarum venationi intentam. Sic Deus ulciscitur superbum & ingratum animum, ut ad extremum fastuosus spiritus in vilissimis curis insumatur, instarque retis ab araneo nexi, ventis in ludibrium, hominibus in fabulam cedat. Quantum se inflaverat olim Domitianus ille Imp. Romanus; qui Deos novos condidit, & seipsum Deum dixit, scripsitque. Qui Minervæ se filium credi voluit; qui sub imagine Herculis adoratus fuit. de quo adulator Martialis lib. 6.

Censor maxime, Principumque Princeps,
Urbs cum tot tibi debeat triumphos,
Tot nascentia templa, tot renata
Tot spectacula, tot Deos, tot urbes.

(c) Ille inquam Domitianus, Deus ac Dominus, quotidie horas aliquot in cubiculum se abdebat, quasi de rebus magnis consulturus; cum verò ministri aliquando per rimam, quid intus ageret, curiosius indagarent, viderunt Imperatorem muscas stylo configentem. Hinc percunctantibus, quis intus esset cum Imperatore? *Ne musca quidem*, respondebant. Non minus stolidè *Heliogabalus*, Romanorum & ipse Imperator, qui jubebat servos millena pondo sibi araneorum deferre, propositò proemio; collegisque dicitur decem millia pondo araneorum, dicens & hinc intelligendum, quàm magna esset Roma. Lamprid. En quò superbia recidat. Perinde ridiculè & sanè *Hariabus* Hircaniæ rex talpas capiebat: *Eropus* Macedoniæ rex, lateribus conficiendis delectabatur: *Bias* rex Lydiæ, filo ranas colligabat. Vah coronata stultitia! His accensendi, qui insanientis sapientiæ studiosi ac magistri, inutili ac futili labore, veluti aranei, consumuntur, de quibus non inscitè Martialis lib. 2. epig. 85.

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Horum

(b) *Errvols & mania hominum studia.* (c) *Imperatorum & regum.*

(d) Horum integram classem Romanus Philosophus inducit. Didymus ille Grammaticus, qui ab assiduitate laboris χαλκέντερος, id est, ferreis visceribus, dictus est, quatuor millia librorum scripsisse dicitur. In his libris de patria Homeri quaeritur; in his de matre Æneæ vera; libidiniosior Anacreon, an ebriosior vixerit? an Sappho publica fuerit? Seneca ep. 88. Consimile studium Tiberij Imp. Rom. fuit, de quo Suetonius scribit, has quaestiones eum sciscitari consuetum: Quæ mater Hecubæ? quod Achilli nomen inter filias Chironis? quid Sirenes cantare consuessent? quot Vlysses remiges habuerit? priórne scripta sit Ilias, an Odyssea? dexteróne an sinistro pede Æneas exscenderit. Et Plutarchus memorat in Convivio septem Sapientum, inquisitum, utrum prius fuerit, ovum, an gallina? Nec desunt *cuminifeca*, & vocabulorum ἐξότομοι, seu radicum sectores, qui abutentes otio, voces singulas & Syllabas exenterant, qui disputant, quid inter stillam & guttam intersit; reperire & invenire, quantum differant apud Nasonem i. Metam. & non inventa reperta est.

(e) Socratem quis occupari credat, ut saltum pulicis, pede ceræ impresso, metiri queat? quasi Philosopho dignum sit, operoso studio confectari, ter millies quadragesies quinquies hunc saltu uno, molem corporis excedere. Quid, quod & hujus ævi viri, ceterum docti, his araneorum textoribus adnumerari possint, qui operosè peruestigant, si chimæra esset homo, cui scientiæ se traderet? inter quos Professor ille accensendus, qui, ut Drexelius commemorat Rhet. lib. 1. c. 10. quaestiones Theologicas nihili faciebat, sed si *modales* incidissent, ubi *absolutum*, ubi *respectivum*, quasi Solimannum debellasset, ita insurgebat. Huc pertinent Sophistæ, qui vafriis conclusiunculis, contortis quaestiunculis, cavillationibus, paralogismis, ac vitiosis argumentationibus, variisque fallaciarum specie alios decipere laborant. Possis etiam huc revocare illa ingenia, quæ in describendo passere, cane, felle, rana, musca, culice, pulice, pediculo; in laudanda mendicitate, ebrietate, luto, ipsa etiam stultitia, elaborato opere desudarunt. (f) Huc quoque referas *hereticos*, qui subtilitate ingenij nihil aliud diu nocturne texunt, quam araneorum telas, hoc est, fallacia animarum reticula, sed infirma, & uno Veritatis halitu dissilanda. His adde Legum latores, & Judices, quorum edicta, decreta, mandata, leges, sunt araneorum casses, in quos si muscæ & volatilia alia pusilla inciderint, capiuntur & pereunt: fortiora

(d) Grammaticorum. (e) Dialecticorum. (f) Hereticorum.

tiora verò animalia perrupto facilè texto, quoquò libuerit, elabuntur: ita leges imbecillam & tenuem plebeculam cohibent atque castigant, potentioribus verò nihil adversantur, qui eas ex arbitrio tollunt, scindunt, abrogant, refigunt. Pierius in Hieroglyph. lib. 26. cap. 47. His vir quidam doctus connumerat cincinnatulos pueros, puellasque, qui in comendis capillis tempus malè perdunt, & stulto se labore consumunt, crinium expandendo retia ad muscas, hoc est, ad gloriolam aliquam & vanitatem, vel blandiorem oculi alieni nictationem aucupandam. Atque horum omnium, quos recensuimus, Symbolum est *Arachne*, quæ fiducia ingenij & artis elata, cum suo fastu in araneolam immigravit, & in elaboranda textili nebula, studium omne, vitamque consumpsit. Hinc proverbio locus factus: *araneorum telas texere*, id est in re frivola, nulliusque frugis, infinitum atque anxium laborem capere.

III. (b) Non possum omittere, quin huc adducam virorum doctorum sensa super illud psalmi 89. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*, id est, reputabuntur, quia laboriosi sunt, & tamen inutiles, & vani, ut anni araneæ. In quæ verba Hugo Cardinalis; aranea, inquit, primò facit telam subtilem, & inutilem; idem facit astutia mundi. Isa. 19. *Confundentur texentes subtilia*. Quales illi, qui annos consumunt aut subtili & inutili, quod supra diximus, studio: aut astuti sunt & versuti in technis & fraudibus texendis, ut alios capiant & irretiant. Pergit Hugo. Secundò aranea se eviscerat; sic facit, avarus. Eccli. 10. *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam; hic enim & animam suam venalem habet; quoniam in vita sua projecit intima sua*, id est, illa & ex ta instar araneæ, vitam & animam exposuit, ac perdidit ad opes acquirendas & accumulandas. 3. Aranea multùm laborat, & citò dissipatur opus ejus; sic accidit homini in fugacibus rebus spem suam ponenti. Jobi 8. *Sicut tela araneorum fiducia ejus*. 4. Aranea tabescit, cum telam suam ruptam conspicit. Contingit hoc longa cogitationum ac negotiorum suorum fila ducentibus, & alta meditantibus. In tales illud psal. 38. convenit: *Tabescere fecisti, sicut araneam, animam ejus*. 5. Vita hominum vanitatibus, & curis terrenis deditorum insperatò rumpitur, uti araneorum tela. Isa. 38. *Dum adhuc ordiret, succidit me. Dum divitijs crescere, honoribus ascendere, ætate ac forma florescere incipiunt, mors telam abruptit; annique malè consumpti seris gemitibus revocantur* Isa. 59. *Quia telas araneorum texerunt; opera eo-*

Y

(a) Puellarum & puerorum (b) Homini enim aranea comparatio.